

BONOMO (Pietro)

CARMINA (1275 vers)

CARMEN PETRI BONOMI TERGESTINI IN UIOLATAM BOHEMI REGIS FIDEM.

C_1 v.1 Nunc canimus falsi perjuriam principis : et te,
 2 qui Stygias Erebiq[ue] tenes, invise, paludes,
 3 consulimus, te in vota deum sine fine ciemus ;
 4 mens tibi vana placet, tibi crimina noxia cordi,
 5 tu stimulas mortale genus, tibi concutit angues
 6 Tisiphone unanimosque armat in proelia fratres.
 7 Da, precor, infaustas, Pluton, ad plectra querelas
 8 Tartareasque accende faces, infunde liquores
 9 Cocyti, recinant maesti mihi carmina manes.
 10 Rex viget Arctoo sub sidere, clarior alter
 11 quo non ante fuit fidei pietate vel armis :
 12 nulla virum flexit rudibus suscepta Bohemis
 13 vana superstitio, dum plebs sibi rustica sorbet
 14 sacratos latices, crusta nec convenit una
 15 Christicolis, Romana volunt qui jura tueri ;
 16 non flexit trepidusque furor jactataque passim
 17 tela manu, saevit vario dum Praga tumultu.
 18 Grata diu regi steterant rectumque piumque,
 19 dum solito fortuna loco, dum nulla fuerunt
 20 praemia et Hungariae nondum sibi quaereret arces,
 21 nec lata duo sceptrata manu tenuisse subiret
 22 dirus amor, mentemque furor stimularet habendi.
 23 At simul invitum rapuit Proserpina crinem
 24 Pannonio regi, summum nec stare tyrannum
 25 fata diu voluere, ruit dum perfida cervix
 26 divisique agitant vario discrimine regnum
 27 hinc proceres, hinc dux Corvi de nomine Janus,
 28 - quid non sacra fames lucri, quid, dira cupido,
 29 insanas hominum mentes et pectora cogis ? -
 30 castra parat subitisque suos Vladislaus armis
 31 accingit violatque fidem sanctosque hymenaeos
 32 Brandeburgensis thalami, sponsalia prima,
 33 perfidus et gestit viduo se immergere lecto,
 34 quippe vocat grandi sponsum mercede Beatrix.
 35 Quo ruis infelix, quo te mala fata volutant ?
 36 Otacari meminisse prius decet irrita regis
 37 arma tui fusasque acies caesumque Bohemum ;
 38 nonne putas memores superos fandi atque nefandi ?
 39 Mox tibi justa dabit Latio qui nomine frater
 40 regna tenet didicitque feras suppressere gentes :
 41 justa dabit Caesar, Romani signa videbis

42 imperii, nigras aquilas : tibi Teutona tellus
 43 Vindelicusque furor, tibi Rhaetia castra frequentant
 44 exitium paritura tuis ; tua colla minaces
 45 expectant ferventque graves incude catenae.
 46 Quippe nec una tuum violavit foedera turpi
 47 fraude caput, nec sola suam fert sponsa querelam :
 48 tu laceras, scelerate, tui pia jura parentis
 49 et, quibus ille sacro junxit cum Caesare foedus,
 50 rumpere vincla potes tantumque infringere nodum ;
 51 tu consanguineas saevus dissolvere leges
 52 Caesaribusque paras solam praeferre duobus
 53 reginam. Generosa tuis stant nomina factis :
 54 tu properas scelerare fidem jurataque dextrae
 55 numina, Romano cum te perjuriam sceptro
 56 subiciunt cingitque comas diademate Caesar.
 57 Quo ruis infelix, vetitas quid concupis arces ?
 58 Infaustas jam verte acies, pete debita sorti
 59 regna tuae : sceptra haec alios sibi poscere reges
 60 fata jubent, veterique memor succumbere juri
 61 Hungaria Austriacos repetit sine fraude penates.
 62 Sed quid turba rudis novit, cui crassa residunt
 63 pectora nec legum didicit pernoscere libros ?
 64 Hos Waradinus agit neglecto jure tumultus,
 65 is recitat falsas fingitque in foedera leges
 66 jusque piumque suis lacerat ambagibus et se,
 67 qui prius in Latii juravit nomina regis,
 68 opponit fallitque deos, sanctas quoque chartas,
 69 quas Pius aeternae firmavit robore sedis,
 70 primus fallaci properat contemnere lingua.
 71 Haec veneranda fides, haec sunt praeconia sancti
 72 praesulis, errantem revocet qui dogmate turbam.
 73 Heu scelus, o nostri praestans infamia saeculi !
 74 Quidquid ubique mali est, quicquid dispergere caedes
 75 orbe valet medio totasque incendere terras,
 76 non modicam retinet partem miscetque sacerdos,
 77 donec inexpletas distendat aere crumenas.
 78 At vos, Pannoniae proceres, quos vana secutos
 79 consilia infidi traxit fallacia Jani,
 80 pergitis et miseri perjurum poscere regem,
 81 gratia digna manet : mendaci praemia genti
 82 certa parant superi servantque in tempore poenas.

EPISCOPUS WARADINUS MONACHUS, PETRI BONOMI UERSUS.

C_2 v.1 Cum pia Pannoniae violavit foedera Janus
 2 et mala juratos lingua fefellit avos,
 3 perfidus ut sanctas potuit perfringere leges
 4 subdere et immerito Caesaris arva viro,
 5 cum Waradineis totus jam fraudibus orbis
 6 vertitur et saeva Mars rotat arma manu,
 7 claustra bonus repetit praesul quaeritque latebras,
 8 velat et infandum conscia culpa caput.
 9 Ah miser, ah tanto reparas mala tecta pudore,
 10 impia qui monachus condere facta putas !

11 Corpora Santonico facile est celare cucullo :
12 veste potest nulla cognita fama tegi.

IDEM DE EODEM.

C_3 v.1 Perfidus ut totas foedavit crimine terras
2 fudit et Hungarico toxica saeva solo,
3 nunc protegunt nudas Jano calopodia plantas,
4 ne noceant domino sparsa venena suo.
5 Ast cur nodosa cingit sacer ilia reste
6 velat et hirsuto membra nefanda sago ?
7 Terra potest nullis misero satis esse latebris :
8 sic parat in mediis mergere corpus aquis.

AD TABERITAS PETRUS BONOMUS.

C_4 v.1 Cede locis, Taberita, tuis ! Submitte superbas
2 cervices : aderit mox tibi dicta dies.
3 Exul Pannonias repetas, miserande, cohortes
4 et referas regi talia dicta tuo :
5 "Aggeribus fossaque levi me Caesar abegit,
6 te patria et regno Maximianus aget".

IDEM AD EFFIGIEM CLAUSII HELUETII,
QUI ALIQUOT ANNIS SINE CORPORALI UICTU UIXIT.

C_ v.1 Clausius hic nullo fovit sua corpora victu,
2 sic tamen ad multas vixit Olympiadas.
3 Hoc si difficile est tibi credere, suspice maestam
4 effigiem : longam comprobat ipsa famem.

WESTUALIUS UENTROSUS PHIALAM CERUISIAE PLENAM
AD CLAUSII MAESTAM EFFIGIEM.

C_6 v.1 Ebibe et ingenti foveas tua corpora potu :
2 quid maceras longa viscera, Clause, siti ?

RESPONSIO CLAUSII.

C_7 v.1 Non possum : occlusa est via gutturis, et mihi vitam
2 qui regat, heu misero, spiritus unus adest.

AD DIUAM VIRGINEM.

C_8 v.1 Quae geris intacti gremio tua pignora ventris
 2 numinaque in parvo corpore magna latent,
 3 hos cum hospitibus, serves, regina, penates :
 4 figitur haec laudi sacra tabella tuae.

DE SPORTULA A CAESARE SUBLATA.

C_9 v.1 Sportula jam cessat, nusquam fumare culina
 2 cernitur : Hans unctas non habet ipse manus.
 3 Quid facient miseri, quis nulla caulis in ola
 4 fervet ? Habent salsam fercula nulla suem.
 5 Nulla terunt liquido pultem mortaria suco,
 6 nec verubus tostas ars parat ulla dapes.
 7 Ingemit hinc passim maesto gens Teutona vultu,
 8 jactatur toto multa querela foro.
 9 Pande pias, Friderice, manus, miserere precantum :
 10 gaudia quanta tuis uncta patella dabit.

AD DOMINUM IOHANNEM FUCHSMAGUM SOMNIUM UATIS PETRI BONOMI.

C_10 v.1 Vix dederat placidam membris nox alta quietem :
 2 Cynthius est nostro visus adesse toro.
 3 Et mihi Daphnaea cinctus sua tempora lauro
 4 edidit haec maesto, Fuchsmage, verba sono :
 5 "Quid sequeris nostras, vates miserande, sorores,
 6 quid tua Caesareis laudibus ora teris ?
 7 Carmina da scombris, doctas jam linque Camenas,
 8 spongia sit multis versibus una satis.
 9 Praemia nulla refert scriptor : vix tanta poetae
 10 aera sonant, tenues comparet unde biblos.
 11 Nulla ejus curat Fridericus carmina : rarus
 12 Caesarea vates nunc ope dives erit.
 13 Vis tua Rhenenses repleant marsupia nummi,
 14 vis tibi perpetua templa parare fide ?
 15 Vade citus, domini fornaci ligna ministres :
 16 solus habet vestri Caesaris Haytzer opes".
 17 Consule jam misero (si qua est via) consule vati,
 18 qui mea nunc solus carmina saepe rogas.
 19 Sed quaenam Phoebi melior sententia ? Jam te,
 20 Lincia, vel linqum, vel calefactor ero.

INTERROGATIO P. CORUINI AD ZOTULUM CANEM.

C_11 v.1 Zotule, quid patula resides lascive fenestra
 2 et te vix revocat inde vel ipsa fames ?
 3 An quia furtivo Veneris plecta susurro
 4 ventura est domino grata puella tuo ?
 5 An cupis intranti blandus bene plaudere turbae

6 si qua ferat, vacuos pellere voce foras ?
 7 Est aliud : quam recta sapis ! Dum fervidus annus
 8 aestuat, argentes scandis ubique locos.

RESPONSIO ZOTULI AD CORUINUM.

C_12 v.1 Quid tibi cum nostra, vates Corvine, fenestra ?
 2 Quid mea sollicitum te facit ista quies ?
 3 Non ego pellectam blando sermone puellam
 4 obseruo, domini gaudia grata mei ;
 5 non mihi si qua ferat cura est admittere turbam,
 6 latratu vacuos usque fugare foras ;
 7 nec mihi, ferventes fugio dum providus aestus,
 8 sic placet in gelidis saepe sedere locis.
 9 Longe aliud : natura cani dignoscere fido
 10 annuit. Errorem disce, moleste, tuum.
 11 Admiror variosque senum juvenumque labores,
 12 sedula quid tandem turba Naonis agat.
 13 Hic regit Actaeum pedibus velocius orbem,
 14 amphora cui facili redditur ampla luto ;
 15 ille fatigatis Brontem Steropemque lacescit
 16 ictibus et calidis cudit aena focis.
 17 Dentibus hircinam cerdo protendere pellem
 18 nititur, ut pariter calceus alter eat ;
 19 assuit hic croceum roseo cum vellere pannum,
 20 sutoris docta veste nitente manu.
 21 Hinc venit arcanam totiens qui Caesaris aurem
 22 consulit et trepidis dat bona verba reis.
 23 Inde alius dominum castris rurisque potentem
 24 exiit atque alii sufficit inde vices.
 25 Diversas hominum videam cum sparsa per artes
 26 ingenia, est cunctis ars tamen una viris :
 27 omnibus idem animus gratos sibi quaerere nummos,
 28 omnis inexhaustas undique poscit opes.
 29 Nullus adest priscae virtutis cognitor, ulla
 30 religio superos vix putat esse deos.
 31 Nimirum ingenti congesta pecunia cura
 32 est deus, humanas nunc regit ipsa vices.
 33 Haec ego de patula prospecto, stulte, fenestra :
 34 ingenium quondam contigit esse cani.

CARMEN PETRI BONOMI AD PAULUM AMALTHEUM.

C_13 v.1 Paule, decus patriae, parvi lux magna Naonis,
 2 natus Amalthea gloria prima domo :
 3 si tibi Pactolus fulvum sine fine metallum
 4 afferat aut dices Lydius Hermus aquas,
 5 quicquid et Eoa nudus legit Indus in unda
 6 ornet inauratos accumulique lares,
 7 nil dederis lepido, mihi crede, decentius umquam
 8 carmine ; non majus numina munus habent.
 9 Est ratio : labuntur opes, sunt frivola rerum

10 omnia ; ab aeterno carmen ubique viget.

EPITAPHIUM NICOLAI MAGNI. PETRUS BONOMUS TERGESTINUS.

C_14 v.1 Quis jaceat tanto miraris, turba, sepulcro,
 2 quae sibi tam vastus contegat ossa lapis ?
 3 "Terrigenas - dicis - non saecula nostra Gigantes
 4 norunt, centimanus non Polyphemus inest".
 5 At si Nicoleon speculata es, principis aula
 6 Austriaci, et molem corporaque alta tenes,
 7 parva putes tanti monumenta haec funeris et jam
 8 hoc stupeas, tantum quam cito desit opus !

ALTERUM.

C_15 v.1 Qui fueram tantae molis, cui membra Gigantum
 2 sors dederat, quaeris, cur jaceo ante diem ?
 3 Seu quod blanda tulit formae natura, diebus
 4 mors negat et vitae tempora grata rapit ;
 5 seu timuit veterisque memor Saturnius irae
 6 me petit et filium Parca severa secat.

IMAGO NICOLAI AD POPULUM.

C_16 v.1 Quid perstas, quid, turba, meos tam sedula vultus
 2 suspicis ? An ficti corporis ista putas ?
 3 Sic fueram, tantosque indulgens auxerat artus
 4 natura, et patriae dux monumenta dedit.

DE DIUO FRIDERICO CESARE PETRI BONOMI CARMEN.

C_17 v.1 Dum valet et sano est Fridericus corpore Caesar
 2 membraque adhuc toto fertque refertque pede,
 3 clausa manent semper penetralia : crebrius instat
 4 pulsaque ab irato principe turba dolet.
 5 Quaeritat accessum domini juvenisque senexque,
 6 ille tamen solis gaudet inesse locis.
 7 At postquam trunca languent jam corpora planta
 8 indiget et multis ad sua mala viris,
 9 quisque fugit, vulnusque senis saniemque perosus
 10 tam prius optato gaudet abesse loco.
 11 Sors rotat haec redditque vices in tempore dignas,
 12 dumque potes non vis, dum velis ipse nequis.

C_18 v.1 I, liber, et propria <...> tandem tecta revises
 2 et jubens dominum rite valere tuum.

3 Sit licet extremos sine me venturus ad Indos,
4 is tamen ante oculos semper amicus erit.

C_19 v.1 Dent alii vestes, princeps, viridesque smaragdus
2 quidquid et Eoa colligit Indus aqua ;
3 sola Tegestres donat tibi carmina vates :
4 carmen enim munus principis esse putat.
5 Illa fluunt cariesque notat vel temporis aetas
6 consumit ; versus Pieridesque manent.

AD MUSAM.

C_20 v.1 Vade, Thalia, bonos regis petitura penates
2 Romani ad cunctas rite colenda dapes.
3 Maximus (haud metuas) te Maximilianus habebit
4 cantantem taedis "Io Hymenaeae" sacris
5 "Io Hymen". Ut recitas reverenti fronte poema,
6 sis memor hoc flexo, Musa, referre genu.
7 Dixeris at postquam, reliquos testata poetas
8 invicti regis quos sacra mensa tenet,
9 posce, Tegestrem Phoebus te supplice vatem
10 inter convivas collocet usque suos.

PETRI BONOMI TERGESTINI IN SERENISSIMI MAXIMILIANI ROMANORUM REGIS
AC DIUAE BLANCAE MARIAE REGINAE NUPTIIS EPITHALAMION.

C_21 v.1 Liquerat incudes Siculas Cytherea mariti
2 loripedis, turpemque virum strepitusque perosa,
3 quos Brontes Steropesque cient, quibus Aetna laborat :
4 Gradivi Geticum repetebat diva cubile.
5 Dum vehitur longosque maris terraeque meatus
6 dum penetrat, laetas Histri devenit ad oras ;
7 hic, ubi felices dives colit Austria campos
8 atque virent pulchrae passim vineta Viennae,
9 solvit Amyclaeos ad flumina mater olores,
10 ut fessos levet alta quies, juvet unda quietem.
11 Illi autem laetis fluvio clangoribus errant
12 atque alas rostro aspergunt, frustra que natantes
13 adversum proni secum rapit impetus amnis.
14 Interea in ripis fulva spatiatur harena
15 alma Venus, quam mille premunt dantque oscula nati,
16 turba procax jucunda deae, gens mollis Amorum.
17 Hos fovet amplexu gaudens, his blanda resultat
18 vocibus atque illis gremium venientibus offert.
19 Tum placido fratres ludunt per inane volatu,
20 atque aliquis lustrisque feras nidisque volucres
21 quaeritat et celeres gaudet se figere cervos.
22 Ast qui tela ferox aurata cuspide gestat
23 cuique datum superos magnum et vexare Tonantem,
24 altius in vacuas quum sese attolleret auras
25 celsa Viennae speculatus culmina turris,
26 protinus augustam volucer descendit in urbem.

27 Dumque ibi cuncta puer tacito perquirere gressu
 28 gaudet, Caesareas lustrat dum fervidus arces,
 29 Martis equos currumque videt, tum postibus hastam
 30 haerentem et juxta clypei septemplex orbem.
 31 Sensit adesse deum, celeresque arreptus in alas
 32 ocius ad caram fert talia dicta parentem :
 33 "Mars tibi non Scythicis quaerendus, mater, in arvis,
 34 non nunc Strymonias cursu praevertitur undas
 35 Sarmaticisve ferus meditatur proelia campis :
 36 haud procul arma dei rapidosque astare jugales
 37 vidimus. Errantes iterum sub frena volucres,
 38 Diva, mone, currumque levem conscende : quod optas
 39 hic dabitur ; non longa via est, urbs proxima reddet
 40 qui tibi longinquis fuerat repetendus in oris".
 41 Surgit laeta Venus (nam forte in margine ripae
 42 candidulas nitido tingebat flumine plantas)
 43 et nati paret dictis ; promissa Cupido
 44 implet et optato genitricem in limine sistit.
 45 Illa, ubi dilecti foribus subiisse quadrigas
 46 Martis et arma videt, celsas conscendit in arces.
 47 Adventu patuere fores, nitor atria replet,
 48 induit et laetos passim domus aurea vultus.
 49 Diva subit thalamoque deum dum comperit aureo
 50 et regem juxta Latium, qui Martia saevus
 51 arma humeris capitique gravem posuisse galerum
 52 gaudebat, belli varias et fervidus artes
 53 discere narrantis pendebat ab ore magistri,
 54 tunc sic orsa loqui : "Nostrae sine fine querelae
 55 nil prosunt, frustra que feras pulsamus ad aures.
 56 Ah quotiens, nostris quo jam succumbere signis
 57 hunc liceat, viduas durus ne perdere noctes
 58 continuet regnisque suos fraudare nepotes,
 59 oravi, leves galeas gladiosque minaces
 60 et bellatrices aquilas, Gradive, parumper
 61 arceres. Tu nostra ferox pia vota moratus
 62 ipse tuum regi cingis nunc laetior ense
 63 et praecepta mones belli. Non Cypria curae,
 64 non, tibi dimisso furtim quos conjuge nectit,
 65 respicis amplexus atque oscula dulcia temnis.
 66 Si memor es, quam saepe meas lassare volucres
 67 quot maris et terrae pro te superare labores
 68 contigit ac variis miseram succumbere curis,
 69 si demum te nostra movet notissima caelo
 70 fabula et in stratis captos succurrit amantes,
 71 orantem ne sperne deam. Jam flectere nostris
 72 vocibus et Veneris subeat rex magnus habenas".
 73 Ille refert : "Cytherea, graves dimitte querelas !
 74 Non tua vota moror : Romani vulnera regis
 75 sensimus atque imo suspiria pectore duci.
 76 Jamque ferus tua signa subit, tibi flectere mores
 77 cogitur et contra nequicquam colla retorquet.
 78 Non feritas, non castra juvant, non igneus horror
 79 thoracum : cessere animi victique furores.
 80 Arma Cupidineis subiere furentia taedis,
 81 et nunc quod nostris laetatur alacrior armis
 82 quodque feras pugnae gaudet perdiscere leges,

83 huc refugit, ne dirus amor praecordia vexet
84 et penitus molles exurat flamma medullas.
85 Tu regem ne laede diu, da optata petenti
86 vota libens paribusque jube complere puellam
87 ignibus ac simili succendere pectora cura".
88 Illa ubi jam vero correptum vulnere regem
89 sensit et Insubrem suspiria poscere divam,
90 advocat et volucrum alloquitur Venus aurea natum :
91 "Vade, puer, Latiasque citus pete principis arces
92 Insubrum cui terra subest Ticinusque Padusque,
93 et quae multa locis posuerunt moenia Boii
94 Orobiique truces : hic dux mihi Blanca pudicum
95 casta torum servat plenis jam nubilis annis.
96 Hanc ego nascentem gremio bene sedula fovi
97 et formam formaeque decus, quo prima Latinas
98 praestaret collata oculis atque ore puellas,
99 adjeci mirata genus, mirata parentes,
100 et quantum Ausoniis celebrentur nomina terris.
101 Huic tu pungentes pharetra deprome sagittas,
102 hanc facibus succende tuis : satis illa superque
103 nostra verecundo renuit sibi vincula vultu.
104 Tempus adest quo digna suae jam praemia formae
105 promissosque ferat thalamos, unde inclyta passim
106 progenies regnis totum sibi vindicet orbem".
107 Paret Amor jussasque alacer petit ocium oras
108 et Blancam, immixtis solito de more puellis,
109 ludentem invadit jaculis atque ignibus urit.
110 Quae postquam insolitum sensit sub corde furorem,
111 ardet amans nec saeva potest dignoscere primum
112 vulnera et externum suspirat nescia amantem.
113 Quumque puellares rursus sibi jungere ludos
114 proponit, tum immixta choris depellere curam
115 nulla juvant miseram solacia, nulla dolorem
116 virgo levat, quaeritque iterum malesana penates
117 et secum tales spargit sub tecta querelas :
118 "Quid me, dira lues, maceras ? Quid, flamma, puellam
119 exuris ? Non forma viri succendit ocellos
120 pectora vel nitidi flagrant ardore capilli :
121 ignotum mea vota petunt. Unde ardor adhaesit
122 ossibus ? Unde atrox concepi saucia vulnus ?
123 Quis nusquam visi faciem proponere regis,
124 quis Latiae Austriacum potuit suadere maritum ?
125 In vetitum miseranda feror primumque furentis
126 Narcissi succurrit amor diffusaque ventis
127 lamenta et curvis illudens vallibus Echo.
128 Quid si ille aequalem regnis sibi jungere amantem
129 elegit patriisve cupit de finibus unam ?
130 Et me vana die suspiria, nocte querelae
131 dilacerant, ast illa sui sponsalia regis
132 accelerat dominique petit dilecta cubile".
133 Audiit hanc tales mittentem pectore questus
134 diva Venus nec passa diu torquere puellam
135 optatos utrimque parat conjungere amores.
136 Et jam multa cohors procerum, quae visere Blancam
137 et mandata velit fratri patruoque referre,
138 eligitur : rex ipse animi sufferre calorem

139 non potuit sponsamque petit. Conubia cuncti
140 ore sonant, volitat passim jam Fama per urbes.
141 Sfortiacos postquam proceres tetigere penates
142 et pacta est firma virgo jam lege, Hymenaeus
143 affuit et festa redimitus tempora lauro
144 sic cecinit cithara carmen modulatus eburna :
145 "O si, Blanca, tuas valeam contexere laudes
146 nec vetet attonitum cumulus, quam laetus habenas
147 nunc cupiam laxare cheli primosque per annos
148 deferri et longo consumere carmine noctem !
149 Sed me magna tui deterrent numina vultus
150 inclusumque oculis decus arguit. O, dea certe
151 divorumque genus : Rubri corallia ponti
152 labra, nivis Scythicae superant tua colla nitorem.
153 Quid dicam roseasque manus niveosque lacertos,
154 inque sinu primum turgentia poma pudico ?
155 Nascenti formamque dedit vultusque decorem
156 alma Venus, celebres Pallas cum moribus artes.
157 Magna Jovis conjunx magni tibi conjugis omen
158 praecinuit fundens tales de pectore voces :
159 "Magna quidem clari gesserunt sceptras parentes ;
160 at, virgo, majora feres latasque per urbes
161 incedes populisque potens et divite regno.
162 Nam si divorum pueros, si pignora regum
163 fata umquam facili duxerunt stamine, ut omnis
164 subicerent regnis terras pelagique meatus,
165 laetius adducto versarunt pollice fusos
166 natali, veneranda, tuo ; tibi sidera faustos
167 et superi vovere dies : tu patria tolles
168 nomina et Insubris per te venerabitur ora".
169 Nec tibi vana fuit vates Saturnia Juno.
170 Advenere dies, atque annos attulit aetas :
171 en petis amplexus cari exoptata mariti,
172 cui pontus, cui terra subest, regesque ducesque
173 cui parent, cui Roma suas commisit habenas.
174 Sed quum tu sponsi potius perdiscere, virgo,
175 quam proprias cupias laudes audire pudorque
176 ora notet, summi tangam praeconia regis.
177 Namque ubi maternis solvit se nexibus heros
178 non nucibus facilique trocho disperdere juvit
179 tempora, sed jam tum maturi sumere partes
180 principis atque annos virtute explere minores.
181 Quid quod adhuc teneram galeae sub pondere laetus
182 cervicem lassare puer, tum frena fugacis
183 vertere equi pugnasque ausus meditarier hasta ?
184 At postquam firmas paulatim in corpora vires
185 attulit ipsa dies crevitque in robore virtus,
186 nulla viri latuere manus Mavortia, virgo,
187 munera : seu duro libuit concurrere ferro,
188 sive per errantes confuso Marte catervas
189 res peragenda fuit nudato protinus ense.
190 Dux aderat cunctis, medios is primus in hostes
191 irruere et latos venienti pandere calles :
192 qualis apud Scythicas quum sese in bella cohortes
193 immiscet saevusque manu quatit agmina Mavors.
194 Hunc Morini sensere truces fortesque Batavi

195 experti. Reserare juvat : trahe, barbite, carmen.
 196 Nam quum materna primum se solvit ab alvo
 197 et puero aeternum riserunt astra Philippo,
 198 exorta est pravis auctoribus undique vulgi
 199 seditio : saevire animis Gandavia proles
 200 coepit, et excluso genitori avellere natum
 201 dum quaerit, dum bella movet, quos ille tumultus
 202 sedavit, fideique iterum quas reddidit urbes
 203 Marte premens, virtute domans feriensque rebelles !
 204 Tangimus ast nudas rerum pro tempore summas ;
 205 mirantur tamen haec omnes, mirantur et haerent.
 206 Quid faciant si illum propius, si numina vultus
 207 et caelo tractam speciem, si robora dextrae
 208 inspicerent, quantusque oculis resplendeat ardor,
 209 pectore virtutes vigeant, quibus undique saeptus
 210 ista gerit sequiturque frequens in castra triumphus ?
 211 Is bellare ferox, victos is mitis in hostes
 212 effususque aliis, sibi parcus, veste nec ulla
 213 praecipuus mensa, si quando in bella profectum
 214 castra tenent, dum bruma riget, sub pellibus aequas
 215 induperator agit forti cum milite partes.
 216 Jam quis adest toto princeps sollertior orbe,
 217 seu captare locum castris, seu cingere muros
 218 obsidione libet, pugnaeque imponere morem ?
 219 Nulla umquam Latio regi castrensia sordent
 220 munera, pro signis quotiens videre cohortes
 221 stare ducem, longas insomnem ducere noctes,
 222 sorte agere excubias, speculatum exire per omnis
 223 nocte vias hostisque sui perquirere vallum ?
 224 Quippe utrumque simul doctus bene militis artes
 225 consiliumque ducis complet, cui nulla quietis
 226 tempora, vix parvo vacat indulgere sopori.
 227 His potuit genitor meritis Fridericus honestis
 228 adduci, ut Latii natum sibi sumere habenas
 229 annueret vivusque sui commercia passus
 230 imperii socium gaudens in regna vocaret.
 231 His venit ad sanctas, his nunc pia nomina poscunt,
 232 imperii sanctas aquilas : quas laetus et ardens
 233 jam pater humanae pertaesus munera vitae
 234 astra petens nati manibus deponit ovantes.
 235 Has huic, fatali spondet quia sidere caelum
 236 diique deaeque omnes, repetit quia vivida virtus,
 237 non furor eripiet belli, non atra dearum
 238 stamina, non potuit numeroso milite Gallus,
 239 non Morini potuere feri Brugaeque rebelles.
 240 Namque ubi tam saevos urbs dira est ausa tumultus
 241 injecitque manus sacrati in corpora regis,
 242 is fortem servare animum, tum tristia visus
 243 tempora jucundo constans depellere vultu,
 244 donec inauditum facinus mens perfida vulgi
 245 dilueret patriaeque dolens nocuisse parenti
 246 perpetuo infelix compleret moenia luctu.
 247 Non tamen hoc populi crimen, non ulla virorum
 248 perfidia, at fati series, quo clarior omni
 249 parte foret celebresque etiam civilia laudes
 250 bella darent. Neque enim quos tollit in astra citatis

251 alma rotis Fortuna viros, quibus usque pepercit,
252 plus amat, ast illos, jactat quos undique saevis
253 exercetque malis et mille pericula vexant.
254 Sic ergo vix acta jugo, vix perfida cervix
255 Brugarum domini ante pedes procumbere sacros
256 desierat, quum bella vocant huncque altera pugnae
257 sors adigit saevusque iterum parat agmina Mavors.
258 Nam simul invitum rapuit Proserpina crinem
259 Pannonio regi, fallunt dum foedera magni
260 Caesaris, et sanctas majorum spernere leges
261 infidi statuunt proceres, hic laetus in hostes
262 arma ciet, sequiturque sacrum Germania regem
263 Vindelicusque furor, domino tum Rhetus adhaeret.
264 Norica sic primum redimit quae moenia fraudes
265 Mathiae rapuere trucis ; quaeque ille per annos
266 Marte decem vicisse ferox jactare solebat,
267 vix totidem sibi victa jubet parere diebus.
268 Tum ne impune suum violasset barbara foedus
269 Pannonia, Austriacas postquam delatus in urbes
270 victor anhelantes subito conjungere currus
271 et socios armare parat : fremit undique tellus
272 Pannoniosque ferus sonipes quatit agmine campos.
273 Claudia tum regis sensit Sabaria vires
274 inspexitque suis augusta in moenibus arma,
275 alba etiam magnis confisa paludibus omnem
276 deposuit fastum, pedites succedere muro
277 dum vidit fossasque truces superare Suevos :
278 regia namque ferox ingressus moenia miles
279 Pannonis infidas mentes passim impulit Orco.
280 Hostis ad extremam fugiens miser usque salutem
281 templa petit regumque pias complectitur urnas.
282 Multa cadunt totis confossa cadavera membris,
283 Matthiae lavat ossa cruor, tulit impius aequas
284 inferias tumuloque parem dedit hora coronam.
285 Non vacat ast, virgo, meritas nunc dicere laudes
286 principis. Insurgunt juvenes divaeque puellae
287 et choreas cantusque parant : sine sumere partes
288 quemque suas, tu laeta feras mille oscula regi,
289 qui robusta tuo circumdet brachia collo
290 virgineamque simul zonam mox solvere certet.
291 Inde tuum poteris fecundo germine nomen
292 tollere et innumeris natos praeponere regnis.
293 I felix : Cytherea vias comitata per omnes
294 te cupidis reddet dilecti conjugis ulnis
295 concordisque animos et mutua vincula nectet.
296 Adsistet Latona toro prolemque perennem
297 sufficiet longamque trahet per saecula gentem.
298 Felices Pater omnipotens tibi suggeret annos
299 fortunamque domus et regna beata secundis
300 auspiciis augens longae post fata senectae
301 aetheriis statuet laetus vos sedibus ambos".

QUERELA URBIS ROMAE AD DIUUM MAXIMILIANUM CAESAREM.

C_22 v.1 Defleram, fateor, quondam mea vulnera, Caesar,
 2 quum veheret captas Gallicus hostis opes ;
 3 mox tamen ut rediit referens mihi signa Camillus
 4 estque triumphali per fora vectus equo,
 5 solata est tristes lacrimas Victoria felix
 6 et laceris voluit crinibus esse modum.
 7 Nunc mihi nulla quies luctus, nunc plangere pectus,
 8 scindere et infaustis unguibus ora iuvat.
 9 Flecte oculos : multo conspersam pulvere cernes
 10 canitiem et lugubri corpora tecta toga ;
 11 et mecum querulas fundit per compita voces
 12 oppressa innumeris Martia turba malis.
 13 Respice Tarpeiam qua mons mihi sustinet arcem :
 14 squalida lugenti supplice templa gemunt.
 15 Venit in exitium populo patribusque Quiritum
 16 Romanasque iterum Gallia vexat opes :
 17 nam Karolus, Latiam quaerit dum vincere Francus
 18 Parthenopen, nostris aedibus arma locat.
 19 Barbarus exsultat mediis penetralibus hostis
 20 et violat nostri nominis omne decus.
 21 Conteror et cernunt miseri sua funera cives,
 22 nemo est qui maestis vocibus addat opem.
 23 Prisca jacet virtus, nullus mea damna repensat,
 24 in cassum Curios Fabriciosque voco.
 25 En, furit Alphonsi capta crudelior aula
 26 Gallus et in nostros jam redit inde lares.
 27 Exspectant graviora, mei passimque Quirites
 28 diffugiunt : vacuum me superesse vides.
 29 Tu mihi longinquo, Caesar, torpescis in orbe
 30 et pateris solii tecta perire tui.
 31 Gens miseram Latii sedem premet improba regni
 32 inque mea ponet Gallica castra domo.
 33 Germaniae nimium vires animosque sepultos
 34 cernimus et segnes ad sua jura viros.
 35 Quid, Maguntiacae praesul venerabilis urbis,
 36 otia securis sedibus usque teris ?
 37 Quid tu, qui dignas Agrippae nobilis arces
 38 dirigis et multo nomine ubique sonas ?
 39 Quid Treveris qui regna colis ? Quid tu, alta propago
 40 Bavariae, Rheni cui lavat unda domos ?
 41 Rumpe moras, Saxon Friderice, ac inclyta profer
 42 nomina et antiquis sis mihi dignus avis.
 43 Brandeburgensis nunc gloria principis, adsis :
 44 hinc poteris digno praemia ferre Lari.
 45 Vosque, alii heroes, quoscumque aut arctica Tethys
 46 abluit aut Rheni terminat ora patris,
 47 seu Visulae fines seu vos vada cernitis Istri,
 48 in mea non serum vertite vota pedem.
 49 Tuque meos, Caesar, tecum miserate labores
 50 cinge, precor, fausto protinus ense latus.
 51 En, sequitur grandes aquilas Germania laetis
 52 auspiciis : Gallus jam parat ipse fugam.
 53 Advenias, te Roma sibi dominumque patremque
 54 postulat : hanc capias, Maximiane, viam.

DIUI MAXIMILIANI ROMANORUM REGIS INUICTISSIMI UARIUS TEMPORUM CURSUS.

C_23 v.1 Principio felix, saevos post volvere casus
 2 fata premunt oditque meos Fortuna triumphos.
 3 Orbe feror vario : jam mille pericula cingunt,
 4 jam mihi ridenti gestit Rhamnusia vultu.
 5 Ast homini jucunda satis venit hora sedetque
 6 non rudis ingenti quae gloria parta periclo est ;
 7 si medio saltem vitae persistere cursu
 8 perdidicit reprimitque truces sors saeva furores.
 9 Est tamen, est nobis magno sub pondere cervix,
 10 restat et immensi series confusa laboris :
 11 "Fata viam invenient - cecinit mihi turba per orbem - :
 12 quicquid agis, mensura tuis quadret undique rebus.
 13 Haec poterit fesso sedes firmare quietas,
 14 hinc finis laudata venit : jam mittere curas
 15 laeta dies Christique docet qui volvitur annus".
 16 Experiar nunc orbe fidem, nunc ficta patebunt
 17 pectora ; et errantes cum Pax mihi sistet habenas
 18 quisque sua plenam referet mercede bilancem.

DE LUDIS DIUI MAXIMILIANI CAESARIS AD SPECTATOREM.

C_24 v.1 Martigenas interque viros lectasque cohortes
 2 quique volat dura cuspide missus ecus :
 3 attonitus spectas Erebi concurrere monstris
 4 silvicolas nulli corpora nota deos.
 5 Quodque alius cervo insideat, premat ille Chimaeram
 6 sive nova id majus voce referre genus,
 7 desine mirari : non haec sine numine possunt
 8 inter et urbanos cuncta patere lares.
 9 Decrevit forti Caesar pugnare duello
 10 deque sua victor spolia ferre manu :
 11 haec sunt Romani praeludia principis, et se
 12 quisque cupit domino posse placere suo.
 13 Alludunt homines regi, pia numina divo :
 14 Tartareis Pluton plaudit et ipse feris.

AD MAGNIFICUM UIRUM DOMINUM IOANNEM FUCHSMAGEN
 REGIUM CONSILIARIUM MERITISSIMUM PETRUS BONOMUS TERGESTINUS.

C_25 v.1 Advenit ignotus, Scythiam Tanaimque nivalem
 2 qui colit aut Nili fontibus haurit aquam :
 3 dona refert laetusque mei vel principis aulam
 4 deserit, aut gratum regia dives alit.
 5 Ast ego, subjectae genitus qui moenibus urbis
 6 ante patris, nati nunc quoque jussa sequor,
 7 tristis inopsque feror : solum me curia pellit,
 8 non est qui miseris vocibus addat opem.

9 Console, qui solitus nostras audire querelas,
10 Fuchsmage, et vatis sit tibi cura tui.

AD PETRUM BONOMUM THEODORICUS VLSENIUS.

C_26 v.1 Quam similis magno frater Baptista Maroni est !
 2 Una eadem amborum patria plectra docent.
 3 Sive hic bucolica pastoria pinxit avena
 4 herois elegos inseruitve sonos ;
 5 sive sub horrendos describat Marte furores
 6 seu referat fidei sensa profunda piaae,
 7 cuncta Maroneae servant vestigia Musae :
 8 si titulum demas, illius esse putem.
 9 Tu modo, qui praestas Frisio, mi Petre, Melampo,
 10 judicio an fallar doctior ede meo.

AD THEODORICUM VLSENIUM PETRUS BONOMUS.

C_27 v.1 Mantua Virgilio, Baptistae Mantua vati
 2 est patria, atque ambos carmina docta beant.
 3 Sive elegos seu forte canant arma horrida Martis
 4 cedere Callimachum Maeonidemque vides.
 5 Sunt similes, fateor, multum, fidibusque canoris
 6 una eadem amborum plectra tonare puto.
 7 Hoc tamen, Ulseni, prior est Baptista Marone :
 8 quod graviora suis versibus usque canit.

AD HARPYIAM FIDA CLIENTIS DEUOTIO.

C_28 v.1 Harpyia, o volucrum regina et diva Celaeno,
 2 Dardanidum vates insons ac terror avorum
 3 Phineiaequae domus, pelagi dignare periclis
 4 Ulsenium servare, Jovi Phoeboque dicatum.

IN DETRACTOREM CONSTANS SODALIS DEFENSIO.

C_29 v.1 Ulsenium quisquis temerarius urget et audet
 2 carmina doctiloqui carpere sacra viri
 3 non videt Harpyiae dotes : regina volucrum
 4 atque hominum digno nomine ubique sonat.
 5 Detrahit ast meritos aliti dum stultus honores,
 6 lambet Phineias garrula lingua dapes.

DUO BONOMI, REGIS ET REGINAE ROMANORUM SECRETARII.

C_30 v.1 Nuper apud Rhenum scripsisti, Celti, sodales,
 2 Vangionum praesul quis sua jura dedit ;

3 sed nunc Danubii cum sint tibi, Celti, sodales,
4 jura sodalicii quis dabit ergo chori ?

AD IOANNEM FUCHSMAGONUM UIRUM ERUDITISSIMUM
PETRI BONOMI TERGESTINI LIBELLUS EPIGRAMMATON.

C_31 v.1 Da, Pater omnipotens, nostro bona fata libello
2 deque tuo primum nomine tutus eat.

IN FESTO CONCEPTIONIS DIUAE MARIAE UIRGINIS.

C_32 v.1 Redditur alma dies qua te pia viscera matris
2 conceptam sancto, Virgo, tulere sinu.
3 Christicolae cumulant aras, tibi reddit honores
4 turba frequens festa fronte revincta comas.
5 Ante alios tua sacra colit, te laetus adorat,
6 qui sua Romano nomine sceptrum tenet.
7 Huic faciles, Regina deum, concesseris aures :
8 justa petit, referat Maximianus opem.

DE NATALI DIUAE MARIAE AD IANUM.

C_33 v.1 Haec est illa dies, qua te pia claustra parentis
2 parturiunt Domino, Virgo pudica, tuo :
3 ite procul, lusus, si quos mihi corda procaces
4 personat et sanctos concine, Musa, sonos.
5 Luce sacra, dum templa colo, dum thura ministro,
6 lasciva hinc absit pagina : cede, Venus.
7 plectra Palaestinae recitent praeconia divae,
8 vatibus aeternum haec sit veneranda dies.
9 Tu quoque, qui facilis nimium vel semper amori es,
10 mitte jocos : mecum seria, Jane, cane.
11 Laudemus magni genetricis adusque Tonantis,
12 natalem Mariae virgineumque torum.
13 Haec nos perpetuis poterit firmare beatos
14 sedibus, hac comite sidera, Jane, patent.

AD IMAGINEM DIUI HIERONYMI.

C_34 v.1 Sic sua cum Libycis errat peregrinus in antris
2 corpora aiunt sanctum perdomuisse virum.
3 Saepius et duro lacerat dum pectora saxo
4 sic fluit ad nudos sanguinis unda pedes.
5 Hoc parat aethereas sanctus sibi vulnere sedes :
6 sidera deliciis, credite, nullus adit.

ORATIO AD DEUM OPTIMUM MAXIMUM PRO MAXIMILIANO CAESARE.

C_35 v.1 O custos hominum, Deus, et pater optime rerum,
 2 auribus haec veniat vox super astra tuis.
 3 Convocat Austriacas rex divus ad arma cohortes,
 4 ut Mauchmetheis hostibus ultor eat.
 5 Da, Pater, auspiciis laetos de more favores,
 6 quo referat meritis digna tropaea suis.
 7 Tunc tibi mille feret virides pia turba corollas
 8 inque tuis totus laudibus orbis erit.
 9 Incluta perpetuo vates tibi carmina plectro
 10 cantabunt : Christi nomina quisque ciet.
 11 Ante alios rex ipse tuas projectus ad aras
 12 vota dabit sumpta Maximilianus ope.

DE CASU ALEXANDRI SEXTI PONTIFICIS MAXIMI.

C_36 v.1 Dum Pater omnipotens nuper sibi poscere summum
 2 Pontificem memori funere forte parat,
 3 dum libet insigni meritum cecidisse ruina
 4 vertit et in dominum tecta superba suum,
 5 obstiterunt superis Erebi fera numina divis
 6 atque humeris magnas sustinere trabes.
 7 "Nostra quid - exclamat Pluto - nunc jura lacessunt
 8 caelicolae ? Est cunctis legibus iste meus.
 9 Integra Alexandri poscunt mea Tartara pridem
 10 membra, nec ad Stygias mortuus ibit aquas".
 11 Ille igitur letum superat : nec damna perenni
 12 ulla vides prorsus posse nocere viro.
 13 Ast Hecates vivum rapiens mox turba per auras
 14 ducet ad infernas imperiosa domos.

AD THEODORICUM VLSENIUM.

C_37 v.1 Tam variis nutat rebus, tot volvitur undis
 2 incerta, instabilis Caesaris aula mei,
 3 ut mihi quidve sequar potius nec scire potestas
 4 quid fugiam : involucris condita cuncta latent.
 5 Quod modo censueram melius, nunc turbida rursus
 6 invertit facies et modo pejus erit.
 7 Sive ubi sim qui simve petas, tibi dicere tantum
 8 nunc valeo, quantum nescius ipse sui.
 9 Consului vates sacros Phoebumque Jovemque,
 10 quae mihi tam vario turbine vita foret ;
 11 ast mihi nec vates Phoebus nec Juppiter ipse
 12 consulere in tanta mobilitate potest.
 13 Quid faciam restas solus qui dicere noris,
 14 Ulseni, et nostram dirigis usque ratem.
 15 Dic igitur : tanti tua sunt mihi, crede fatenti,
 16 consilia, ut spernam Delphica templa libens.

AD DIUUM MAXIMILIANUM CAESAREM PRO PECUNIA IMPETRANDA.

C_38 v.1 Quicquid et argenti fuerat vel divitis auri
 2 eduxit loculis terra Sueva meis,
 3 jam nihil est, Caesar, nil gratis uncta culina,
 4 nil pistor : nummos undique caupo petit ;
 5 stat magno faenum, magno mercamur avenam
 6 et stabulum magna sub stipe claudit equos.
 7 Invenio gratis, Caesar, nisi Nekeris undas :
 8 contentus sola est vix, puto, piscis aqua.
 9 Praesta igitur nummos jam, Maximiliane, roganti
 10 aut jubeas gratis cetera cuncta dari.

AD HOSPITES DE CONUIUIO COMITIS DE ZOLEREN.

C_39 v.1 Qui tam lauta vides convivias, nobilis hospes,
 2 atriaque ornatis plena nitere viris,
 3 mensa quod ignotas praebet tibi digna volucres
 4 et pelicanum fercula grata ferant,
 5 quod montes silvasque sedens modo dente pererres
 6 atque feras patinis quod canis unctus agat,
 7 desine mirari : Friderici industria tanta est
 8 qui meritis Zoleram tollit in astra domum.
 9 Iste domi residens volucres venatur ad Indos,
 10 hic facit ut montes saxa nemusque vores.

AD IANUM CONTUBERNALEM ELEGIA DE MANLIA AMICA TERGESTINA.

C_40 v.1 Jane, vale : revocat lacrimis meus ignis abortis,
 2 non patiar teneras saepe madere genas.
 3 Quid juvat, heu, gelidos miserum petiisse Triones ?
 4 Ista potest Scythicas vincere flamma nives.
 5 Quam melius, dum flava coma est, dum lusibus aetas
 6 convenit et viridi flore juvena nitet,
 7 quam dominae subiisse jugum cum cingere canos
 8 cura monet, cum jam curva senecta premit !
 9 Quid mihi Romani veneranda palatia regis
 10 profuerint, quid me regia celsa juvet,
 11 si viduo recubare toro, si ducere noctes
 12 tristior insomnes debeo perpetuas ?
 13 O pereat potius quaecumque extollere nomen
 14 fama potest, nostram seu decorare domum.
 15 Austria fecunda nostros super astra sodales
 16 laude vehat : nobis gloria parva sat est.
 17 Dummodo me solitis foveat mea vita lacertis
 18 inque sinus fessum decubuisse velit,
 19 despiciam magnos procerum securus honores
 20 quasque tulit laetas regibus orbis opes.
 21 Manlia noster honos, laus Manlia, Manlia nomen,
 22 Manlia erit Croesi copia, harena Tagi.
 23 Quid mihi de toto cupiam felicius orbe,

24 quaeve magis nostrum gaudia pectus alent,
 25 quam tecum liceat patrios habitare penates
 26 et tecum innumeros, Manlia, adesse dies ?
 27 Dumque erit apricis matura in collibus uva,
 28 devehet Adriaco navis utrumque mari,
 29 alludet Neptunus ovans, tranquilla dabuntur
 30 aequora, Tritones Nereidesque trahent.
 31 Suscipient laetos viridantia litora amantes,
 32 qua Tergestini desinit unda sinus.
 33 Hic ubi pampineas mea Barcula protrahit umbras
 34 pendet ab undisono nec procul uva salo,
 35 alta ubi dissimiles pirus indicat undique fructus,
 36 quaque tibi levi cortice mala rubent :
 37 hic nos ferventes anni vitabimus aestus,
 38 traducet longos arboris umbra dies.
 39 Vel si nos varius revocabit forte Cupido
 40 diversosque volet Manlia nostra jocos,
 41 non procul est viridi myrto mihi consita silva :
 42 inde alitum nostros pascitur agmen agros.
 43 Hic mihi fallaci virgas distendere visco
 44 cura erit, hic saltans noctua ludet aves.
 45 Longius ast cupiet si Manlia visere colles
 46 Pucinosque feret nos via adusque lares,
 47 lac dabit et dulcem nobis mea Marsa Lyaeum ;
 48 praesto aderit tenui sedula turba casa
 49 ac dominam venerata meam mihi laeta rogabit
 50 tempora et aeternos usque favere deos.
 51 Tum si Antenorei fontes adiisse Timavi
 52 juverit et Dryadum Naiadumque domos,
 53 insula praestabit calidas tibi, Manlia, lymphas
 54 inque salutifero suscipiere lacu.
 55 Hunc referunt ponti refluas imitarier undas
 56 cumque mari vivas crescere fontis aquas.
 57 Haec mihi Baiano pretiosior una recessu
 58 insula erit, thermis haec mihi, Roma, tuis !
 59 Ast cum jam latos nix alta obsederit agros
 60 et stabit rigido terra coacta gelu,
 61 saevus ubi egelida Boreas remeabit ab Arcto
 62 canaque jam vastis fluctibus unda ruet,
 63 saltibus aut lepores venabimur aut mihi cervum
 64 deprensum magno murmure turba dabit.
 65 Sic mihi felicem videar traducere vitam
 66 et melius maestos fallere posse dies.
 67 Nil moror, ecce iterum revocat mea Manlia amantem :
 68 vix mihi tam gratas rex dabit ullus opes.

AD ELISAM PUELLAM.

C_41 v.1 Quid cupis in cassum tenero me innectere amori
 2 insidiasque oculis tendis, Elisa, meis ?
 3 Frigida jam languet virtus nec lusibus aetas
 4 convenit : albenti tempora crine vides.
 5 Nec tibi vel nutu seu verbis posse moveri
 6 me reputes, pluris stat modo noster amor.

7 Languida vix surgit repetito mentula tactu :
 8 non juvat hanc nutus, nil bona verba juvant.
 9 At si me tandem cessantes sumere vires
 10 ipsa voles, ultro basia mille dabis.

DE EADEM ELISA.

C_42 v.1 Compulit ut primum nutu verbisque petulcis
 2 nostra iterum Veneris colla subesse jugo,
 3 ecce latet clausasque tenens inimica fenestras :
 4 effugit aspectus dulcis Elisa meos.
 5 Seu pater invidit nostro crudelis amori
 6 et dolet occlusa nata retenta domo ;
 7 forsitan et lacrimis invertere jussa parentis
 8 nititur, e longa dum tepet ira mora.
 9 O duras aures, o ferrea pectora, quae non
 10 flectere lugenti filia voce potest !
 11 Sic te Pallas amet, sartor, sic forcipe cunctis
 12 gratus et accepta saepe rogeris acu ;
 13 sic populo placeas passim neque capra per urbem
 14 infestis miserum vocibus ulla premat :
 15 redde pius nostris oculis lasciva puellae
 16 lumina et obtrusae virginis ora refer.
 17 Quod si tu nostros pergis divertere amores
 18 longius et natae gaudia grata vetas,
 19 te Venus aut misera damnabit, rustice, morte,
 20 sive olidum faciet mox, mihi crede, pecus.

AD MATHAEUM LANG DIUI CAESARIS SECRETARIUM.

C_43 v.1 Scire voles forsitan reginae curia nobis
 2 quam placeat : carmen perlege, Lange, meum.
 3 Longa dies misero, nulla est nocte voluptas,
 4 gaudia vix saevis hostibus ista velim.
 5 Non aliud regina facit quam ludere chartis,
 6 aut sedet occlusa semisopita domo ;
 7 turba vel Insubrum stimulat vel garrit in aurem,
 8 sive Caballini fabula inepta sonat.
 9 Nicoleos longis jactat sua terga capillis,
 10 inde gener soceri moribus usque quadrat.
 11 Angulus iste duas claudit, tres ille puellas :
 12 consumit totos multa querela dies.
 13 Quaeque suos absens passim suspirat amantes
 14 saepius et lacrimis ora pudica madent.
 15 Has si forte juvat maestum visisse, fatebor :
 16 inde mihi major poena dolorque venit.
 17 Perdimus, heu, levibus tantum bona tempora verbis :
 18 saepius ad vetitas arrigo, nil futuo.
 19 His me, Lange, puto voluistis ducere vitam
 20 deliciis : veniant haec tibi cuncta, precor.

IN PAMPHILUM SAXUM POETAM QUI IN DUCEM MEDIOLANI INUECTUS EST
ET CAESAREM ETIAM CARPSIT.

C_44 v.1 Saxe loquax, prodi : cur nunc temeraria tantum
2 lingua tacet ? Victus forte pudore lates ?
3 Non canis Insubri pulsum de sede tyrannum ?
4 Non tibi Saturni saecula nunc redeunt ?
5 Tolle tuum, felix vates, super astra leonem,
6 adversis Mauri casibus altus eas !
7 I nunc, navales Venetis adscribe triumphos
8 ductaque ab Adriaco plurima rostra mari !
9 Quaere ubi Naupactumque ferax ditisque Coronae
10 moenia, Methones leta tropaea refer !
11 Urbs regina maris maeret, nec victa Cremonae
12 arva queunt tanti damna levare mali.
13 Nauplia mox cernes flammis ferroque furenti
14 tecta rapi, o populis exitiose leo !
15 Nunc opus aeratas Turco ostentare phalanges,
16 quas modo dimissa Maurus ab urbe fugit.
17 Praestet opem Gallus, sancto qui foedere tecum
18 conexus, praedam te sinit esse neci.
19 Attamen hoc nihil est : meritis pejora dabuntur,
20 insontem regno quod pepulere suo,
21 et veniet Gallis merces sua, forsan et olim,
22 Maure, volent sedes non tetigisse tuas.
23 "Caesar agit celeres per devia rura Molossos" :
24 quid si mox Gallos cogat et Adriacos ?
25 Piscatum redeant Veneti : piget ista dedisse
26 ingratis superos regna tenenda viris.
27 Te quoque poena manet violati, Saxe, pudoris,
28 Caesareos mores qui modo, saeve, notas !
29 Esse putas Veneta tutus terrave marive ?
30 Tutus ad Aethiopas vix bene, Saxe, fugis.
31 Nondum Romani regis tibi cognita virtus,
32 quamque potens nostri Caesaris una manus :
33 cum volet, et Venetae victor dominabitur orae,
34 cum volet, Aethiopas legibus ille premet.
35 Ergo ubi ad inflatum carmen modulaberis utrem,
36 saxe loquax, tantum laedere parce Deum !

IN ARTIFICEM QUI PRIMUS SOLEAS EQUO SUFFIXIT.

C_45 v.1 O pereat, soleas primus qui subdere suasit
2 cornipedi et nocua textit ab arte pedem !
3 Quis furor, e duro posset cum laedere cornu,
4 artificis ferrum supposuisse manu ?
5 Addita dant animosque truces rabiemque cruentam
6 arma viris : animos sumit et inde pecus.
7 Hinc furit et nostras non fert violentus habenas,
8 saepius hinc domini corpora tundit equus :
9 hinc ego compellor cruris sufferre dolorem ;
10 heu nimium damnis ingeniosa manus !

AD CAESAREM MAXIMILIANUM DE CASU POETAE.

C_46 v.1 Capreolum dum tu, Caesar, sectaris et omnis
 2 turba ruit placida qua fluit amnis aqua,
 3 hic ego fallacem cupiens transire paludem
 4 involvor parvo sub vada raptus equo.
 5 Non fuit hic casus, tenuis nec culpa caballi,
 6 implicat aut rapidi vorticis unda pedes :
 7 Caesaris ast nymphae cupiunt dum noscere vultus
 8 me trahit in medias candida Nais aquas.

DIUI MAXIMILIANI CESARIS UARIUS UITAE CURSUS.

C_47 v.1 Principio felix, vario post vita tumultu
 2 vertitur : ah quotiens nostris fortuna triumphis
 3 invidit voluitque meas pervertere sedes !
 4 Et nunc orbe furens, nunc stricto concitor ense
 5 diversas errare vias ac comminus hostem
 6 quaerere et Austriacis Hunnos depellere tectis.
 7 Sic mea nunc tristi discrimine tempora versat,
 8 nunc mihi dimisso ridet sors laeta furore.
 9 Ast homini jucunda satis venit hora vigetque
 10 non rudis ingenti quae gloria parta periclo est ;
 11 si medio saltem vitae desistere cursu
 12 saeva Praenestinae volverunt damna sorores.
 13 Est tamen, est nobis magno sub pondere cervix,
 14 restat et immensi series confusa laboris.
 15 "Fata viam invenient - cecinit mihi turba per orbem - :
 16 quicquid agis, mensura tuis quadret undique rebus.
 17 Haec poterit fesso sedes firmare quietas,
 18 hinc finis laudata venit : jam mittere curas
 19 laeta dies Christique docet qui volvitur annus".
 20 Experiar nunc orbe fidem, nunc ficta patebunt
 21 pectora, et errantes cum Pax mihi sistet habenas
 22 quisque sua plenam referet mercede bilancem.

EPITAPHIUM FRIDERICI CAESARIS.

C_48 v.1 Hic jaceo et mecum cecidit pax unica mundi :
 2 Vita mihi, ast patriae dulcis adempta quies.
 3 Quod mea felici signarunt nomina fato,
 4 servatum totis viribus ipse vides.
 5 Dives eram pacis Caesar, mea cura tumultus
 6 frangere : sanguineo Mars rotat usque malo.
 7 Lustra decem quartusque simul superadditus annus
 8 viderunt nostra sceptrum superba manu.
 9 Integra Romano redeunt sua praemia regi,
 10 quae sibi vel vivo patre tropaea tulit.
 11 Quare age, qui nostro, lector, retinere sepulchro :
 12 digna Friderici funere verba dato.

ALTERUM EIUSDEM EPITAPHIUM.

C_49 v.1 Quid tibi Nestoreae prosunt nunc saecula vitae
 2 Austriaque et gentis stemmata longa tuae ?
 3 Quid tandem Romana juvant te sceptrata ? Quid aurum,
 4 quo tibi nil toto carius orbe fuit ?
 5 Jam, Friderice, jaces, humilique est condita saxo
 6 majestas tanti nominis ; umbra manet.
 7 Sic pereunt nostraeque volant labentia vitae
 8 gaudia : Caesaribus mors quoque saeva venit.

AD MAXIMILIANUM CAESAREM DE ADVENTU HIEMIS PRO IMPETRANDA UESTE.

C_50 v.1 Nescio quis nostris, Caesar, se contulit hospes
 2 aedibus et lateri considet usque meo.
 3 Horridus, hirsuta protectus corpora pelle
 4 vestit et huic tremulum cana senecta caput ;
 5 hispida barba riget glacie concreta nivali
 6 inque sinum naso stiria multa fluit.
 7 Contigit ut primum gelido mea limina gressu
 8 et rapido implevit flamine ubique domum,
 9 frigidus extemplo nostros tremor occupat artus
 10 nec juvat ardenti longius ire foco.
 11 Quaeque magis fornax tepido calefacta vapore
 12 aestuat, hanc tremulus nocte dieque colo.
 13 Pellibus indignus tenui tritaque lacerna
 14 non bene ego ad Boreae frigora tutus eo.
 15 Quid faciam ? Regina vocat : fornace relicta
 16 cogor et in plateis frigora magna pati.
 17 Jam quocumque mihi libuit divertere gressum,
 18 qui lateri insistat frigidus hospes adest.
 19 Consule, qui miseris incommoda pellere, Caesar,
 20 es solitus : vati prospice, dive, tuo.
 21 Aut reice invisum nostris de sedibus hostem,
 22 aut mihi pollicitae munera mitte togae.

ALIUD, IN DIE FIDELIUM ANIMARUM EXHORTATIO AD... MITTE IOCOS...

C_51 v.1 [LACUNE]
 2 Possit opus mentes ad pia vota tuas.
 3 Manibus haec fidis (quod dogmate discis avito)
 4 est data sacratis legibus alma dies.
 5 Hac Tyriam pulla commutat veste sacerdos,
 6 aeternam requiem tristia templa sonant.
 7 Tura feras maestis patrum matrumque sepulchris,
 8 pauperibus largam praestet avarus opem.
 9 Cumque frequens septem veniae perlegeris odas
 10 saepius et requies paxque rogata tibi est,
 11 haec tecum ingenti revocans suspiria luctu
 12 ante crucem flexo carmina redde genu :
 13 "Christe, maris, terrae, summi quoque rector Olympi,

14 sanguine qui fuso crimina nostra lavas :
 15 parce pius fidis animis, quas torridus ignis
 16 purgat et in poenas lex tua laesa dedit.
 17 Conclamant veniam, majus meruisse fatentur :
 18 supplicium fassis tristia damna leva ! ".

EPITAPHIA SEQUUNTUR.

C_52 v.1 Quod fuerim novi tantum, mihi somnus et error
 2 cetera : tu melius, postera turba, vide.

ALTERUM.

C_53 v.1 Tu melius, quae turba manes ; ego noscere tantum
 2 hoc potui : ut moriar, nescius ipse mei.

EPITAPHUM IOANNIS FUCHSMAGONI.

C_54 v.1 Fuchsmagonum vixisse juvat, rectumque piunque
 2 quod coluit ; reliquum somnia vana putat.

ALTERUM EPITAPHIUM.

C_55 v.1 Vixi, et quod potui scitatus : plura volenti
 2 noscere et implicitae consuluisse viae
 3 obstitit hinc breviorque dies, hinc tradita nostris
 4 religio. O melius consule, posteritas.

PRO IOANNE FUCHSMAGONO ALTERUM EPITAPHIUM.

C_56 v.1 Christicolae quantum licuit, credensque satisque
 2 gnarus et Austriaca notus utraque domo
 3 hic jaceo. Hoc mecum valeas requiescere saxo,
 4 Fuchsmagoni quisquis gratus amicus eras.

ITEM ALIUD PRO EODEM.

C_57 v.1 Quid vixisse juvat ? Quorsum vehit ista potentes
 2 ambitio, exigua si tumulamur humo ?
 3 Caesaribus quondam carus natoque patrique
 4 Austriacoque duci Fuchsmagonus jaceo.

ITEM ALIUD.

C_58 v.1 Scire quis hoc saxo recubet si forte, viator,
 2 percupias, lecto carmine sospes abi.
 3 Fuchsmagonus jaceo, requiem mihi fata dedere :
 4 erroris longi terminus iste lapis.

ITEM ALIUD PRO EODEM.

- C_59 v.1 Jam cupiens longo requiem peperisse labori
 2 haec sibi de Pario marmore busta parat ;
 3 hic jacet, hoc tandem finit mala cuncta sepulchro
 4 Fuchsmagonus : vivo non fuit ulla quies.

DISTICHON ALIUD PRO EPITAPHIO FUCHSMAGONI.

- C_60 v.1 Fuchsmagoni longos mors jam miserata labores
 2 hunc rapit : hoc tandem marmore parta quies.

ALIUD EPITAPHIUM.

- C_61 v.1 Respice, pauca rogat saxum : tu pauca roganti
 2 Fuchsmagono aeternam posce pius requiem.

EPITAPHIUM.

- C_62 v.1 Fuxmagonum mors atra rapit : clausere sepulchro
 2 corpus et effugit quod superest reliquum.

ALITER.

- C_63 v.1 Fuxmagonus vixi divis, natoque patrique
 2 Caesaribus ; reliquum somnus et ambitio.

IDEM.

- C_64 v.1 Fuxmagonus vixi divis, natoque patrique,
 2 Caesaribus, reliquum somnia vana putans.

AD BLASIUM HOLTZEL MEMORIALE.

- C_65 v.1 Sarcinulas jam quisque legit, discedere suadet
 2 per plateas curvo quae canit aere tuba.
 3 Nulla tuo est vati signata pecunia, Blasi :
 4 tu moneas regem, tu mihi fautor ades.

THEODORICUS VLSENIUS AD LECTOREM.

- C_66 v.1 Docte Tegestream lector discurrere silvam,

2 quisquis aves Bonomi dulcia grana legens,
 3 effuge spinosas denso curvamine vepres :
 4 sint tibi plus rubris lilia grata rosis.
 5 Sint violae mollesque croci cordisque voluptas,
 6 regia virtutis balsama, muscus, Adon.
 7 Attamen in silvis cui non errare licebit,
 8 quum soleat nostrum fallere campus iter ?

PETRUS BONOMUS PRAESUL TERGESTINUS ET MUSARUM ANTISTES
 SIBUTO CERUESIAM DISSUASIT.

C_67 v.1 Quid mihi, vesani, spumantia pocula zythi
 2 porrigitis, rabidis pocula danda feris ?
 3 Hoc ego, sive merum est seu nomine dicta Latino
 4 cervesia, et premitur frugibus ille liquor,
 5 crediderim Stygiis expressum mittere prelis
 6 Tartareus Hecate, numina grata, canis ;
 7 seu spuit e triplici quae toxica Cerberus ore
 8 cervesiam voluit littera quarta loqui !
 9 Sit tamen in nostris quicquid velit illa libellis :
 10 rugosus dabit hanc non mihi saepe calix.

SIBUTUS DOMINO SUO TERGESTINO.

C_68 v.1 Cur potum, praesul, caelestem spernis, amande,
 2 cum tibi nil umquam fecerat opprobrii ?
 3 Sunt nostri graviter - cernis - quandoque parentes
 4 illo vexati ; paenitet haud aliquem.
 5 Hic tulerat febres, tardam tulit ille podagram,
 6 haustibus ex multis hernia venit aquae ;
 7 huic oculi lacrimant, alter tremit omnia membra,
 8 tertius auditum perdidit ille suum.
 9 Quartus iter baculo quaerit, patientia quinto
 10 nulla datur, sextus major Oreste furit.
 11 Septimus innocuos signavit fronte lapillos,
 12 octavus cecidit stercora magna vomens.
 13 Nunc jacet et solem nocturno tempore quaerit,
 14 in medio pariter est sibi luna die.
 15 Dormit et inde loco solem speculatur eodem :
 16 miratur, dicit : "Lucifer alme, venis".
 17 Forte puer patrem clamat : "Pater est tibi nullus -
 18 ille videns dicit - femina nulla mihi est :
 19 sum liber, quaecumque velit me possit habere".
 20 Urbes promittit sed caret ipse domo.
 21 Grande nefas, scelus et mortale : perenne piaculum
 22 turpis et infelix ebria vita facit.
 23 Sextilianus adest nostris, Vacerra, Novellus
 24 Ennius et bibulus, potor Homerus adest.
 25 Omnia sunt nostris, nostri dant pocula vitae,
 26 quae vitio merito, praesul amande, dabis.

C_69 v.1 Attonitam modo si cui mulcent organa mentem
 2 musica et ornatos expetis usque sonos,
 3 Eia, age, nunc subeas laetus sublimia templa :
 4 hic tua quod docte perbibat auris habet.

PETRI EPISCOPI TERGESTINI AD CANEM HOELCELII DISTICHON EX TEMPORE.

C_70 v.1 Caesareae veluti spectatur Blasius aulae
 2 sic tu conspiceris, gloria prima canum.

ALIUD.

C_71 v.1 Ut dominus splendet praeclara Caesaris aula
 2 in canibus sic tu, Turce, micare soles.

ALIUD.

C_72 v.1 Ut dominum video primum sub Caesare, sic te
 2 primum sub domino convenit esse canem.

DE THEODORICI VLSENII CAESAREI ARCHIATRI IUDOCIDE
 PETRUS BONOMUS EPISCOPUS TERGESTINUS AD LECTOREM.

C_73 v.1 Perlege, qui Christum Domini sedesque beatas
 2 cernere post miseri carceris acta cupis :
 3 descriptus modico Judocus carmine monstrat
 4 qua pateat clari regia celsa poli.
 5 Cujus honoratae servans vestigia plantae
 6 tutus in aetherea constituere domo.
 7 Haec tibi perpetuae, lector, dat munera vitae
 8 Ulsenius, docti gloria rara chori,
 9 Ulsenius, medicae tutor reparator et artis,
 10 quem celebrant dulces ex Helicone deae.

C_74 v.1 Hunc lege quisquis ades - Musa plaudente - libellum :
 2 egregios vates hic liber unus habet.
 3 Ingeniis certe variis laetabere, lector :
 4 dignior hic aliis jure libellus erit.

PETRUS BONOMUS EPISCOPUS TERGESTINUS BLASIO HOELCELIO.

C_75 v.1 Sedulus inservis patriae carisque propinquis,
 2 et capit optatam notus amicus opem.
 3 Devincis meritis proceres comitesque ducesque,
 4 colloquio gratus, gratus et officio.
 5 Laudibus extollit passim te Caesaris aula :

6 Hoelcelium cuncti, plebsque patresque, colunt.
 7 Ast non felicem quemquam facit unica mundi
 8 gloria, non patriae lausve decusve suae :
 9 non meritis totum sibi si devinxerit orbem
 10 felicem quemquam dicere jure potes.
 11 At mea si quaeris quae sit sententia, Blasi,
 12 dicam. Vis felix vivere ? Vive Deo.

PETRUS BONOMUS BLASIO HOELCELIO.

C_76 v.1 Rex, mihi jampridem Pucini tradere turrim
 2 pollicitus, moneas is tibi saepe jubet.
 3 Pucini bona vina premit mihi vilicus, et tu
 4 si moneas, Blasi, dulcia musta bibes.

PETRUS BONOMUS BLASIO HOELCELIO.

C_77 v.1 Humanas quaecumque diu terrentia mentes
 2 prodigia in lucem terra fretumque dedit,
 3 quaeque per aethereas viderunt saepius auras
 4 mortales visus cum pluviis lapidum
 5 collegit docto Josephus distincta libello
 6 et Maecenati dedicat illa suo.
 7 Terrigenas precibus nosti devincere divos
 8 flectitur et verbis Caesaris ira tuis :
 9 sic poteris superos, Blasi, mollire precando,
 10 ne noceant nostris tot mala temporibus.

PETRUS BONOMUS BLASIO HOELCELIO.

B78 v.1 Si mihi quam pereas, Blasi, monstrare puellam
 2 non pigeat, prorsus carmina mille dabo.
 3 Non visam laudare nequit mea Musa : poetis
 4 excitat affectus pulchra puella novos.
 5 Quicquid ames igitur doceas, si versibus ullam
 6 laudari cupias : laude fovetur amor.
 7 Sed timeo ne turpe aliquod scortumve lupamve
 8 dispereas ; hoc te dicere forte pudet ?

BLASIUS HOELCELIUS PETRO BONOMO.

B79 v.1 Quid petis ut nostram pandam tibi, Petre, puellam,
 2 protinus ut nobis carmina mille canas ?
 3 Seu metuis quod turpe aliquod scortumve lupamve
 4 dispeream et forte hoc dicere me pudeat ?
 5 Diligo turpe nihil, videas licet ipse puellam :
 6 quam pulchra et nitidis percipienda genis !
 7 Colla nives superant, Indos dens ipse lapillos,

8 purpureas aequant ipsa labella rosas.
 9 Sit tamen illa licet scortum, sed et hoc tamen ipsum
 10 si fuerit, multos fallat et arte sua.
 11 Tam bene dissimulat, tam sancta et casta videtur,
 12 ut dignam dignis laudibus inde rear.

PETRI BONOMI ELEGIA BLASIO HOELCELIO.

C_80 v.1 Nascitur aspectu quidquid, mea Manlia, in horas
 2 me cruciat : visus fit mihi poena gravis.
 3 Nil tamen inque dies mea mens, nil poscit in horas,
 4 quam quo te inspiciam lumina mille dari.
 5 Quandoquidem tanta est vultus tua forma pudici
 6 spirat et ex oculis tam tibi dulce decus,
 7 ut quae me lacerant, quae tam mea corda fatigant,
 8 de misero aeternum pectore damna levent.
 9 Si me respicias, in me si vertis ocellos,
 10 signa ut amicitiae quantulacumque rear,
 11 quanta vel ex uno veniunt suspiria passim
 12 pectore, quam dulcis undique fletus adest !
 13 Si mihi labra moves, Rubri corallia ponti
 14 quae superant, et me vocibus ipsa beas,
 15 quam languet mea vita, vides, quam dulce putamus
 16 languere hoc ritu saepius atque mori !
 17 Si rides qua laeta soles horaque locoque
 18 meque tuos liceat cernere, diva, modos,
 19 quam vidisse juvat, quam dulcis flamma medullis
 20 irruit, et risu gratior ipsa venis !
 21 Si pulsare chelyn, si voci adjungere nervos
 22 meque licet cantu munere adesse tuo,
 23 quam nectis mea corda ferox, quam nectere dulce est :
 24 suavius his laqueis est, mihi crede, nihil.
 25 Suspiras si forte alios, mea Manlia, amantes
 26 meque tibi cordi credulus esse putem,
 27 quam jucunda mihi fallacia, quam mihi dulcis
 28 error, habent superi regna minora meis.
 29 Sive meum cupias astu deprendere amorem
 30 infensamque mihi fingere forte velis,
 31 tam mihi vita placet, quam te decet astus et irae :
 32 decipere hoc, falli carius hoc nihil est.
 33 Si pigeat falsis demum luisse dolentem
 34 artibus et maesto mox mihi laeta redis,
 35 quam piguisse libet, quam te luisse dolentem !
 36 Hoc astu estne aliquid dignius aut melius ?
 37 Si improvisa venis, quo me quoque fata tulerunt,
 38 inspexique meam nescius ad dominam,
 39 quam mihi se laetam sors obtulit, et mihi late
 40 riserunt placida fata benigna colo.
 41 Si tibi virgineasve genas rubor inficit ex hoc,
 42 ut solet e viso saepe puella viro,
 43 quam beat ille rubor, quam grata haec signa pudoris,
 44 quam mihi vel placidi pignus amoris habent !
 45 Si mihi rivalis timor est suspectaque forsan
 46 ipsa venis, post haec pellitur ille procul ;
 47 quam felix metus ille fuit, languorque dolorque :
 48 est auro et gemmis carior et potior.

49 Si vel parva satis suspiria pectore fundis
 50 et sonus adveniat auribus iste meis,
 51 quam mea nectareo figit praecordia passim
 52 vulnere, quam placida cuspide pectus adit !
 53 Sive abeas, seu me doleas discedere amantem
 54 teque nimis nostri sedula cura movet,
 55 quam mihi cura placet, quam grata est ista dolentis
 56 tristities : superas Attica mella, dolor.
 57 Omnia nec fas est, nec si fas dicere, parvo
 58 effari in medium carmine magna queam.
 59 Quidquid agis tandem cruciat, sed damna rependis
 60 omnia tam dulci nectare tamque beas,
 61 ut neque corda dolor laedat, non ulla voluptas
 62 me satiet : didici sic puto quid sit Amor.

IN LAUDEM PAULI, ORGANORUM MUSICI PRIMARII,
 PETRI BONOMI TERGESTEI CARMEN.

C_81 v.1 Quisquis es, attonitam mulcent cui musica mentem
 2 organa et ornatos expetis usque sonos,
 3 huc ades, Austriacam confer te laetus in urbem :
 4 hic tua quod docte perbibat auris habet.
 5 Threicius patrium quicquid cantavit ad Hebrum,
 6 cum traheret silvas, flumina, saxa, feras ;
 7 quaeve ferunt Stygios domuisse ad carmina manes
 8 dum repetit vates conjugis ora suae ;
 9 quidquid et Amphion Cadmea natus ab urbe
 10 edocuit facili personuitque lyra :
 11 omnia Apollineo percurrens organa ductu
 12 exsuperat Pauli nunc bene docta manus.

PETRI BONOMI TETRASTICHON AD EFFIGIEM PAULI HOFFHAIMERI.

C_82 v.1 Organa qui facilis manibus pedibusque movebat,
 2 cujus in aeternum fama superstes erit,
 3 effigiem Pauli, Saxon quae munera Lucas
 4 digna dedit Mosis, parva tabella gerit.

IN FABRICAM DOMUS PAULI ORGANORUM MUSICI PRIMARII,
 PETRI BONOMI TERGESTEI.

C_83 v.1 Austriaci placidas mulcet qui principis aures,
 2 organa cum facili pervolat ampla manu,
 3 hic sibi dilectos Paulus struxisse penates
 4 gaudet et heredi dona futura suo ;
 5 longa quibus superi protendant saecula et omnis
 6 dinumeret laetos incola saepe dies.

DE PHOENICE ET PUELLA. PETRUS BONOMUS EPISCOPUS TERGESTINUS.

C_84 v.1 Dum volat et dominae Phoenix venit obvia nostrae,
2 quam magis ex cunctis miror in orbe deam,
3 dum videt et pennas, fulvum dum conspicit aurum,
4 tristis ait : "Non sum quae prius ipsa fui !
5 Regnat in Ausoniis formosior altera Phoenix
6 Assyrias vincens aurea delicias".
7 Atque hac suspirans compellat voce puellam :
8 "Confiteor fato te meliore frui :
9 uror ego et pereo, quoties mihi cura renasci ;
10 ast tu alios nascens uris et excrucias".